



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Quæstio. An Matrimonium Luciæ & Wenceslai valeat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

pij de dissolutione Matrimonij, quod, quia male inter ipsos conveniebat, pridem abhorruit, rata sufficientem adesse causam dissolutionis, Sibi autem soli fidere non ausa interrogavit aliquem sibi notum Clericum, qui nuper Jurisprudentiæ studuit non sine laude, an suum Matrimonium, quod infcia conditionis Wenceslai contraxerat cum servo seu mancipio, subsisteret. Iste consiliarius rem non ex fundo penetrans reposuit, Matrimonium,

quod à persona libera cum persona servilis conditionis ignoranter contrahitur, invalidum esse secundum Jura. Hoc responso læta Lucia à Wenceslao aufugit libertatem sibi gratulans. Sed melius nunc discutienda est



QUÆSTIO.

An Matrimonium Luciae & Wenceslai valeat?

NEgat glossa in *caus.* 29. q. 2. & Paludan. in 4 *dist.* 36. q. 1. art. 2. n. 13. ex ratione, eò quòd in servis adscriptitijs, (qui nempe suis dominis in ordine ad fundum colendum adeò adstricti sunt, ut sine eorum voluntate ac manumissione à cultura fundi recedere nequeant, censenturque pars fundi, & fructus possessionum tenentur omnes dominis reddere præter sumptus & victum suum) uti & in originarijs, qui nempe nati sunt ex adscriptitijs, atque adhuc magis in hominibus proprijs, qui adhuc durioris

sunt conditionis, quàm illi, plerique effectus servitutis propriæ inveniuntur, qui videntur nimis recedere difficile Matrimonium cum tali homine proprio, adscriptitio, aut originario, consequenter tollere consentium in ignorante hanc conditionem compartis.

Verùm aliter sentire nos cogit non solum communis ceterorum omnium DD. consensus, sed etiam recepta praxis, ac ratio manifestata; quia Jura, dum conditionem servilem, à parte ingenua seu libera ignoratam tempore contra-

etiam, pro impedimento dirimente statuerunt, intelligenda sunt in sensu proprio, seu de servis & ancillis strictè dictis, qui nempe alieno dominio ita subiiciuntur, ut instar rerum nostri patrimonij possideri, vendi, & alienari possint, ac à Jure pro nullis, & quasi pro pecude habentur; id enim colligitur ex *can. 4. & 5. caus. 29. q. 2. ex c. 2. & fm. b. 1.* & inde, quòd leges odiosæ, uti sint irritantes, præsertim Matrimonium, quod alias in Jure inter causas favorabiles reputatur, strictè sunt accipiendæ atque in sensu proprio, consequenter non extendendæ ad servos improprie dictos, quales sunt adscriptitij, originarij, homines proprij, qui revera sunt homines liberi, per *l. 13. C. de agric. & censit. c. 2. de Jur. Juris*; & omnes Christiani ex generali consuetudine in reverentiam Christiani nominis, & libertatis, in quam nos Christus asseruit, habentur pro liberis sublata inter illos servitute strictè dicta: ergo servi adscriptitij, originarij, & homines proprij non sunt condi-

tionis servilis, quæ sit impedimentum dirimens Matrimonij.

Auctoritas glossæ & Paludani penitus enervatur tam communi aliorum omnium sensu, quàm recepta praxi, & allata ratione. Paritas rationis inter servos proprie tales, & adscriptitios, planè non est, quia isti, quàmvis quoad facultates & quasdam obligationes sint aliquo modo similes servis, quoad alios tamen effectus sunt dissimiles, & absolutè liberi homines: imò, licèt daretur paritas vel etiam identitas rationis inter utrosque, tamen propterea lex odiosa, conditionem servilem pro impedimento Matrimonij statuens, ad servos improprie dictos extendenda non foret. per *c.*

15. de R. J. in. 6.

§§ 50



Ecc 2

TI-